DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO INTERNO,

SIVE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO INTERNO,

SIVE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EUGENIUS SULLIVAN,

HIBERNUS.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS BALLANTYNE.

1805.

EXIMIO VIRO

GULIELMO WOLSELEY,

ARMIGERO,

EX CLASSIS REGIÆ BRITANNÆ PRÆFECTIS;

HOC

ANIMI NON IMMEMORIS

PERLEVE MONUMENTUM

QUA DECET OBSERVANTIA,

D. D. C.QUE.

DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO INTERNO,

SIVE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

De hoc morbo, his nostris temporibus, adeo late sævienti, mirum sane videtur, quam parum ab antiquioribus, literis mandatum est. Centum etenim abhinc, non amplius, annis, ad ejus indolem indagandam sese primum applicuere medici,

quos inter, principem locum PAISLEIUS chirurgus æquo sibi jure vindicat. Multum tamen abfuit, ut opus omnibus numeris absolutum posteris traderent qui de eo primi scripserunt auctores; illustris et ipse PETITIUS, quamvis ceteris omnibus facile anteponendus, adeo mancum tamen et imperfectum in lucem edidit tractatum, ut ab aliis corporis humani malis, quibuscum confundi posset, morbum hunc proditorem et huc usque fere invictum, ex auctoris eximii opusculo, distinguere nullo modo possimus. Rebus ita sese habentibus, WHITTIUS, ejusque non longo admodum intervallo, vestigia premens QUINNIUS sese ad signa morbi accuratius indaganda, ejusque pleniorem historiam concinnendam graviter accinxerunt, quorum laboribus auspicato susceptis, et ad finem feliciter perductis, multam huic argumento lucem affulsisse fatendum.

DEFINITIO MORBI.

"Hydrocephalus internus, seu apoplexia hydrocephalica, paulatim adoriens infantes et impuberes plerumque, primum lassitudine, febricula, et dolore capitis, dein pulsu tardiore, tandem frequentissimo, pupillæ dilatatione et somnolentia afficiens."

MORBI HISTORIA.

Apoplexia hydrocephalica gradatim, plerumque, obrepit, obscurisque accedens passibus, sedem alto prius in corpore figit, quam vel ipse miser periculum sibi imminere suspicatur, vel aliis signa tam dire laborantis exhibet. Nil etenim ingruenti malo proprium inesse videtur, unde ab

aliis minus lethalibus affectibus dijudicari, ab initio possit; infantibus et impuberi ætati præcipue infesta, adultos quoque longiusque provectos aliquando adoritur, nec desunt (contra ac WHITTIUS expertus est) exempla infantum intra secundum ætatis annum, ejus sævitiæ succumbentium, nonnullique auctores in infantulorum morbis probe versati, tetrum, in ipso nondum in lucem edito fœtu, tyrannum extitisse crediderunt, difficilemque, subinde, partum, moli capitis effusi humoris accumulatione adauctæ tribuere non dubitarunt.

Incipiente morbo, præter solitum languet æger, animo demisso, viribusque prostratis, motum cibumque pariter aversatur. Semel atque iterum indies vomitus urget præcipue matutinus et nausea; dolor, regionem præsertim superciliarem, aut verticem, lancinans cruciat, quem tandem aliquando cessatum ducit excipiens ventriculi affectus. Caput hinc inde interdum dolet, sæpius autem in hoc vel in illo tantum latere posita sede, cephalalgia nunc levis nunc gravior infixa manet, quo non raro factum est, ut, latus affectum versus, ægro propendente capite, mali sedem facili negotio digito monstrare liceat. Cer-

vix quoque et scapulæ, artus nonnunquam, modo etiam et intestina, cum capitis pro tempore levamine, acerrimis anguntur cruciatibus, lucem refugiunt oculi, vigilans continuo fere plorat, vel somno perbrevi ærumnarum obrepente solatio, dentibus frendet miser, naresque arescentes carpit, dum subito correptus terrore, e somniis excitatur, non quidem refectus ad munia surgens, sed eundem malorum cursum denuo peracturus.

Lingua nunc sordibus obducta, nunc prorsus nitida vel præter solitum rubens, aut apthis cooperta, varias rerum species exhibet, sitis varia, alvus tantum non semper pertinaciter astricta purgantibus ægre respondet, demumque soluta vim magnam fœcum subviridi calore dejicere solet. Arteriarum ictus perraro validi, frequentiores quam in integra valetudine, plerumque, evadere solent, in quibusdam autem exemplis, per aliquot saltem post incipientem morbum dies, modum circuitus solitum atque naturalem excedere nullo modo videntur.

His aliquandiu perstantibus signis, accedit frequentior ad vomitum nisus, pupilla aliquatenus dilatata, axis oculi nunc unius tantum nunc utriusque ad interiorem canthum paululum conversa

visusque aliquando duplex. Acutiore capitis facto dolore, miserandos planctus edere coactus æger ædes luctu et lacrymis complet. Cunctis nunc pyrexiæ stipantibus signis, arteria scilicet frequentius celeriusque micante, siti molesta, spiritu difficili, caloreque corporis, præcipue capitis, ad summum fere pervecto, urget febris vesperi crudescens, vultu subinde integro rubedine suffuso, unius vel utriusque interdum genæ rubore circumscripto, nunc assiduo perstante, nunc vicibus alternis evanescente et redeunte. Huc aliquando accedit, in adulta præsertim ætate, delirium ferox, quale phreniticis accidere solet, animo scilicet, ob arctum quamvis parum perspectum cum corpore commercium, turbatæ cerebri conditionis facto participe. Hanc primam signorum seriem exhibere solet morbus, nunc serius nunc citius positis exuviis novus tanquam coluber, aliam formam induiturus, prout vel celeri gradu ad metam festinat, vel lentioribus (non minus certis) passibus ad finem truculentus pergit.

Pulsus hactenus incitati, nunc tardiores longe, ac in sano corpore micant, perstante nihilominus calore febrili, quo minus frequentes, eo magis et vi et intervallis inæquales facti. De doloribus

jam aliquantulum mitiscentibus minus conqueritur æger, vomitumque cessantem, vorax interdum cibi appetentia sequitur. Pervigilium cum somnolentia in coma non raro abeunte, commutatur, manus capiti sæpius admoventur, strabismus augetur, pupillarum dilatatio crescit, cunctisque in præceps ruentibus, oculis tandum captus, in tenebris versatur miserandus æger. Alvi pertinax, ut plurimum, manet durities, vermibus tamen, subinde, inferius dejectis, urina non multum plerumque mutata copiosum aliquando sedimentum deponit.

Aliquot jam dies sub hac forma rerum perstante malo, aliam omnino faciem induit ingravescens morbus, novamque signorum cohortem, in aciem ferox deducit. Ictus etenim arteriarum in stadio jam memorato tardiores facti, nunc temporis frequentes adeo debilesque etiamsi æquales fiunt, ut vix et ne vix quidem, numerari aliquando queant. Respiratio difficillima et sicut in apoplecticis stertorosa atque sonora evadere solet, tunica oculorum albuginea rubet, maculisque per totam corporis superficiem obortis, facies hinc pallescere hinc rubere videtur. Musculis quibusdam paralysi correptis, urina et fæces in-

scie elabuntur, deglutitioque non facile perficitur, donec ærumnis tandem confectus miser, mortem, heu nimium optandam, diris convulsionibus distractus oppetit.

Ea est, soliti, hujus implacati morbi, decursus, ex sævioribus exemplis plerumque desumpta fidelis enarratio, quum tamen e via subinde deflectat, signaque quædam usitatissima sæpissime desint, talem malorum ordinem, non in omnibus ægris esse expectandum, hic loci monuisse decet. Pupillæ etenim dilatatio, pulsuumque tantum non perpetua varietas ab auctoribus idoneis nonnunquam abesse dicuntur, GREGORIUSque illustris Med. Pract. in hac alma academia Professor, amaurosim inter prima morbi indicia, in exemplo sibi oblato sese observasse refert. Capitis non semper urget dolor, nec vomitus assiduo miseros fatigat, nec lucis, in omnibus, adest intolerantia.

Quod ad morbi durationem attinet, varia omnino est. In quibusdam etenim exemplis, hebdomadæ spatio ad plures migravit miser, in aliis, aliquot menses tulit ærumnas, sæpius autem intra diem trigesimum aut quadragesimum vitam ingratam cum placida morte commutavit.

SECTIO CADAVERUM.

Cerebrum hoc malo interemptorum scrutantibus, pro varia jamjam notata signorum duratione, varia sese prodidere phœnomena; quum gradu incitato mors supervenerat, guttulis aquæ perpaucis e more in ventriculis cerebri detectis, vasa tum ejus, tum meningum sanguifera, turgida ac sanguine referta, inventa sunt, cujus quamplurima exempla ab auctoribus omni fide dignis relata sunt. Ubi autem integro morbi absoluto decursu, lentam obiit mortem ægrotans, effusi laticis vel limpidi vel subflavi copiam, vel in uno vel in omnibus ventriculis inventam memorant auctores. Quod autem ad humoris e vasis elapsi quantitatem spectat nil certi dicere licet, a duabus ad sex uncias, ut plurimum, vacillante mensura.

De laticis indole variæ obtinuere sententiæ, quum toto fere cœlo discrepent experimenta de hac re a celeberrimis viris Whittio et Baillie, dedita opera instituta, quorum ille calore

coagulari nequire, hic contra, et acidis cogi, lymphamque in hydrope effusam plane referre, distincte asserit. Id, tamen, aliquando fieri non posse, ab eodem, pro certo accepimus.

Phœnomena huc usque memorata ad varios morbi progressus quodammodo spectare videntur; alia autem, in inciso capite detecta sunt, quæ, non ex signorum decursu profluxisse videantur, sed fontem potius iisdem originemque suppeditasse. Tumores etenim in multis encephali locis atque meningum, varia magnitudine diversisque coloribus, inventi sunt. Excrescentiæ quædam osseæ in cerebri materiem, per membranas usque pertingentes, in quibusdam exemplis, in aliis, plexus choroides sacculis quam plurimis hydatidum more refertus, observata sunt, glandulaque ipsa pituitaria nonnunquam prorsus indurata reperta est; utrum tamen huc sit referenda jam dicta malorum cohors nondum tam clara luce patet, ut certam cuivis sententiam diserte efferre liceat, cerebri etenim structura et functionibus adhuc atra caligine mersis, effectus ad proprias referre causas, nec dubii expers, nec periculo vacuum quivis judicare possit.

DE CAUSIS REMOTIS

PRÆDISPONENTIBUS.

E LABE quadam congenita proclivitatem ad hunc morbum oriri pluribus argumentis comprobari possit, qualis autem sit ejusdem indoles, ex quove systematis vitio pendeat, id demum nos ignorare fatemur. Parentum insolita et nimia mentis exercitatio, vini quoque ab iisdem larga et constans indulgentia (cujus idoneum exemplum in prælectionibus suis affert STOKIUS, vir ingenio et sagacitate paucis secundus, industria nemini) diathesin hydrocephalicam gignere possunt. Strumis hanc dispositionem referendam in pluribus satis superque ostendit PERCIVALIUS atque SAUVAGESIUS, nec desunt qui tumores in cerebro inventos ex eodem fonte oriundos putent; sed de hoc parum constat, quamvis fundamento non levi conjectura niti videatur. Infantes certe quamplures ingenio acuto præcocique præditos,

facieque strumosa, hoc morbo correptos periisse, omnibus in re medica vel leviter versatis, probe compertum est.

DE CAUSIS REMOTIS

EXCITANTIBUS.

PARUM pro certo notum est; ex precipuis autem habentur læsio capitis externa, vinosi spiritus effluvia, nimia mentis et præmatura sedulitas, mœror, solitarum evacuationum suppressio, diuturnus opii usus, urbium oppidorumque vitiatus aër, tinea repressa. Morbi quidam prægressi, typhus nempe, dysenteria, colica, morbilli, variolæ, vermes, a quibusdam pro causis morbi excitantibus enumerantur, viribus, nimirum, his malis laborantium, plus æquo prostratis, fibrisque motricibus, ad irritationes omnigenas eo proclivioribus factis.

DE CAUSA PROXIMA.

VARIÆ extitere sententiæ; alii etenim, WHITTIO duce, eandem ac in aliis hydropis speciebus causam esse existimarunt, alii, contra, inter quos longe extant QUINNIUS atque GREGORIUS, originem hujus morbi ex inflammatione deducunt. Nec quidem utrinque desunt argumenta vel gravia vel saltem speciosa, quibuscum suas quique partes pro viribus tutentur. Hinc fidem quodammodo conciliant humoris effusi eadem quæ in aliarum partium hydrope natura, tumores, lymphæ per vasa absorbentia transitum compressione occludentes, præcipueque strumosa hoc morbo laborantium, præ cæteris hydropi obnoxia diathesis; illinc autem argumenta haud minus speciosa forsitan et validiora, ex urgente capitis dolore, lucis intolerantia, corporis aucto calore febreque desumpta (quibus et remediorum indolem antiphlogisticam adjecisse liceat) a jam designata nos sententia discedere suadent, morbumque ad

phlegmasiarum ordinem potius esse relegandum monuisse videntur. Neque sola rerum verisimilitudine suffulti, sententiam suam, honestis rationibus sustentare laborant hujusce opinionis fautores, longius enim progressi, ad incisionem cadaverum sese recipiunt, signisque prægressis, cum morbosa partium affectarum conditione collatis, causam suam re atque usu, nec frustra, comprobare conantur. Cunctis etenim sincera mente perpensis, melius atque facilius symptomatum ordinem, totumque morbi decursum, e statu vasorum plethorico atque inflammato deducere licet, quam si ad hydropum causas, eadem referenda suscipiamus. Hinc plane oriuntur pungens, incipiente malo, capitis aliarumque partium dolor, hinc lucem aversantur oculi, hinc arteriarum pulsus mirifice incitati, hinc denique corporis universi, capitisque imprimis auctus calor et quicunque sint febrium assidui comites, quibuscum fere omnibus, invalescens morbus stipatus in aciem plerumque prodit. Ad eundem quoque uberrimum malorum fontem, morbum longius provectum et jam desiturum, vestigiis consequi fas est; plethoram namque prægressam, jam excipiente humoris effusione, protinus, nimii san-

guinis impetus et copiæ indicia cessant, pulsus languescunt, febris cessat et vomitus, laticeque ventriculos premente, stupor cephalalgiam, strabismus, et pupillarum dilatatio, lucis impatientiam (nil mirum) subsequuntur.

QUORUNDAM SYMPTOMATUM RATIO.

Quum jam de quibusdam signis, in præcedentibus plus æquo forsitan locutus sim, hic loci, de paucis solummodo, huc usque intactis strictim disserere statui. Pulsus arteriarum incitatos, lucis intolerantiam, calorem corporis et capitis auctum, atque cephalalgiam gravem, ex nimio sanguinis flumine in caput irruenti, deducere non dubitavi, unde etiam profluxisse videtur delirium aliquando ferox et pervigilium. Nisus ad vomitum ratio ex consortio, ventriculum inter atque cerebrum facile explicari potest, quum inter eum cæterasque corporis partes, nexus adeo universalis obtineat, ut nulla fere, utcunque remota,

systematis vivi portio dolere queat, quin simul tenerrimus et ipse doleat. Universi corporis et animi languor ab effuso latice cerebrum undequaque premente pendere videtur, cæcitasque oculorum ex thalamis opticis compressis facile deduci potest, nemini non etenim compertum est partem corporis quamlibet, ligato sive compresso nervo seu nervi origine, muneribus suis ineptum brevi torpere. Si autem ratio quæratur, cur ista in ventriculis potius quam in superficie cerebri effusio fiat, id mihi oriri videtur ex vasorum exhalantium laxitate, quæ in eorum cavum osculis inhiantibus integro etiam corpore, tenuem vaporem effundunt, nunc autem solito magis distenta eoque debiliora solito majorem humoris copiam excernunt. Spasmi et convulsiones quæ huic et aliis quamplurimis morbis communia sunt, ad summam corporis irritabilitatem atque debilitatem referenda sunt. Unde et pulsus sub finem mirifice incitatos, (etiamsi ratio non pateat) oriundos esse, credendum.

DIAGNOSIS.

Ab aliis quibusdam morbis hydrocephalus ægre distingui potest. Verminationem autem adeo ad vivum exprimit, ut ab ea, non nisi decursus signorum habita ratione, facile dignosci queat. His autem attento animo perpensis indoles morbi detegetur. Cephalalgia utrique communis in hydrocephalo assidua perstat, sedeque in hac vel in illa parte, posita, ibi altius infixa manet; in vermibus autem, nec frequens adeo, nec limitibus circumscripta, universum caput cruciatibus urget; vermibus affecti, de abdominis doloribus præcipue conqueruntur, abdomenque tensum tumidumque ferunt; hydrocephalo laborantes, etiamsi de ventre dolenti nonnunquam quiritentur, ventriculum tamen (si manum partibus affectis admovere jubeas) dolorum sedem illico designant. In verminatione alvus nunc astricta, sæpius liberrime soluta cum dejectionibus mucosis observatur; in morbo, de quo hic agitur, per-

tinaciter, plerumque, manet constricta. Qui vermibus torquentur edaciores evadere solent, hydrocephalicis appetentia cibi, ut plurimum deficere dicitur. A vermibus abest lucis intolerantia, nec cæcitas obrepit, etsi subinde adsit pupillæ dilatatio. Nares in hydrocephalo sæpius arescunt, in vermibus assidue stillant. Huc præterea accedit signorum in vermibus et levior insultus et lentior malorum ad metam progressus. Quum tamen simul et in eodem corpore uterque morbus existere et conjungi possit, has jam memoratas discriminis notas parum subinde prodesse, alioque esse confugiendum facili negotio patet. Si igitur in ipso limine, emetico nec non leni eccoprotico cedere nesciant cephalalgia et vomitus, si labem quandam congenitam suspicari liceat, si huc denique accedant luminis fastidium, et cervicis, scapularumque dolor, hydrocephalum latitantem subesse timendum, atque in eum, ut in apertum hostem, summis niti viribus medicum attentum atque sagacem decet.

Dentitionem aliquando mentitur. Hanc autem calor oris, salivæ copiosa defluxio, gingivarum rubor et dolor designant, digitos præterea parvulus laborans ori frequentius ingerit, alvum

habet plerumque solutam, et non raro adest diarrhœa urgens atque molesta.

A typho, tum signis supramemoratis, tum matutino vomitu, dissimilique decursu, tum etiam suspicione contagii facile dignoscere queas.

Tabis etiam mesentericæ, protei instar, faciem aliquando mutuatur, sed in tabe præter abdomen, ut in vermibus, tumidum et tensum, glandulæ plerumque mesentericæ induratæ justoque majores, premente manu sentiri possunt, reliquum marcescit corpus, neque insignis adeo pulsuum lentitudo mesentericam tabem unquam comitatur. Nihilo tamen minus ex animo dolendum est, hunc dirum morbum nullo, in quibusdam exemplis, manifesto discrimine ab aliis dirimi posse, nec mirum, quum signa etiam usitatissima aliquando desint, usque dum, secundo grassante stadio, " sero nimium medicina paratur."

PROGNOSIS.

Hydrocephalo implicitum maximopere periclitari omnibus in re medica vel leviter versatis apprime notum est, quo autem diutius perstiterit eo plus subest periculi. Si Gregorium adeas, sese, in pluribus exemplis, medicamenta infelici eventu propinasse, vir magnus ingenue confitetur; idem clamitat non minus celebris Monro, nec melius Whittio res cessit qui ne unum quidem a se servatum esse testatur. Non tamen omnino desperandum est, non etenim desunt qui tertium quemque servari posse testentur, si modo ingruenti malo obviam ire liceat, et Percivalius ex viginti et duobus hydrocephalo laborantibus undenos a se morti immaturæ atque acerbæ præreptos refert. Ex signis, stupor et coma pessima habentur, nonnullos tamen et his signis affectos convaluisse narratur. Pulsus autem debiles et frequentissimi, mortem jam prædæ inhiantem, certissime designant. Qui ex hoc morbo

convalescunt paucis diebus in recidivam, denuoque post quadragesimum diem incidere solent.

MEDENDI RATIO.

Quum morbi decursus, pro varia ejus duratione atque progressu, variis omnino symptomatis insigniatur, medendi quoque consilium pro varia rerum conditione varium esse patet. Perstantibus igitur pungenti captitis dolore, lucis impatientia, cæterisque acutæ inflammationis effectibus, ad omnia huc usurpata minuendi sanguinis impetum instrumenta quamprimum confugiendum esse censemus; quum autem præ cæteris, sanguinis huc conferre detractionem inter omnes ab omni fere ævo conveniat, de hujus remedii, inter initia saltem hydrocephali, et largo et maturo usu, nullum, me judice, dubium oriri potest. Nec metu inde orituræ debilitatis absterreri decet, quin ad eam ut ad anchoram nos sacram impigre recipiamus, ægre etenim medicabile atque

inveteratum malum medicinam promptam atque efficacem flagitat. Debilitatis autem subesse periculum, nec mihi in animo fuerit diffiteri, nec ab ea, in omnibus quibuscunque morbis, summopere caveri debere, inficias ire ausim, id summe dementis esset, tueri tamen liceat, non ex sanguinis tempestiva jactura sed ex effreni invicteque sævienti morbo, vires corporis imminutas atque infractas, imprimis provenire. Sub jugum mittatur hostis, immo in ipsis cunabulis trucidetur, pristinam, cito, valetudinem, solitasque vires recuperabit æger. Res in ambiguo positæ nec postulant nec ferunt inducias. Largam autem et pro re nata sæpius repetitam sanguinis missionem, et morbi indoles jam patefacta requirit et veterum in similibus exemplis monet auctoritas. Si parca trementique manu pauxillum tantum educas, vi morbi nullatenus subacta, ægrotantem adeo non, præstituto munere, levas, ut eum, reapse in præceps agas, detracto etenim sanguinis parum copioso rivo, non morbum lenibus obtemperare nescientem, coercebis, sed periclitantem ægrum, ligatis post tergum manibus inermem devictuque facilem insultibus ejus objicis. Vel incisio igitur venæ in universum omittatur, vel

libera manu, libere celebretur; nam, ut SYDENHANUS olim et ante ipsum SYDENHAMUM quamplures haud obscuri monuerunt auctores, non sanguis missus sed nimium parce detractus, si modo mitti debeat, perniciem laborantibus ægris affert. Numquis sanus sævam pleuritidem aut pneumoniam, pauculis tantum purpurei laticis unciis eductis, se curare posse speret? Id quidem aliquando fieri fatendum est, sed quoties immanem et fere incredibilem sanguinis molem non solum innocue sparsam, sed etiam cum omnium malorum levamine instaurataque salute, et vidimus ipsi et ab aliis accepimus. Medico scilicet non ad futuram debilitatem sed ad præsentis morbi exitialem naturam, merito respiciente.

Ast, teneros hanc ægre ferre jacturam infantes, objiciet aliquis! imo. Non in omnibus eorum querelis, ad eam confugiendum esse facilis concedo, sed in urgenti actuosaque cerebri inflammatione, a potentissimo omnium, quæ sanguinis impetum compescere valent, remedio timide abstinere vel idem nimium parce adhibere, id demum et pusillanimum et alienum esse videatur. Progrediente etenim morbo miseris misere

pereundum est, adhibito autem tempestivo valentique auxilio non vitam cum morte, sed miseros dolores cum brevi infirmitate commutant.

Quum ad inflammationem localem plurimum valeat, amovendam, sanguis ex partibus affectis seu iis proxime adjacentibus eductus, quumque ad eundem effectum præstandum mirum in modum conferant vesicatoria iisdem partibus applicita, hirudines vel cucurbitulæ cum ferro temporibus utrisque, vesicantia ampla atque acerrima (abraso capillitio) occipiti, nuchæ, et inter scapulas, adhibenda videntur.

Ex pluribus argumentis, eoque præcipue quod in syncope correptis vel lipothymia minitante accidit, situm corporis in circuitu sanguinis vel morando vel accelerando haud parum posse patet. Summi igitur momenti erit ut æger quo magis potis sit, ab horizonte declinet, quum sic nempe positus fuerit, ipsa fluidorum circumeuntium gravitas nimis celerem eorum, caput versus, nonnihil morabitur, ascensum.

Frigus capiti, cervici, scapulis, etiam sub axillis applicitum, felicissimos in quibusdam phrenitidis exemplis effectus exeruisse notum est, nec, similes in primo hydrocephali stadio sperasse ef-

fectus alienum esse videtur. Si autem eo ipso temporis articulo in balneum tepidum pedes immittantur, quo sanguinis impetus a capite aliquatenus revocetur, vim frigoris in capite sublevando plurimum adjutam iri, quibusdam in hac re non leviter imbutis visum est.

Nec quidem, in recensendis remediis quae ad amovendam phlogisticam corporis conditionem præ ceteris valere videantur, de purgantium exhibitione et libera atque constanti, silendum esse crediderim; locum quidem detractioni sanguinis cedant, utpote quæ nec adeo certe nec cito agere queant, ne tamen intentata respuantur utpote quæ et irritamentis ablatis et corpore depleto atque refrigerato plurimum prodesse possint. His positis, sibi quisque id medicamenti seligat quod huic proposito aptissimum esse re atque usu didicerit.

De EMETICORUM usu jam quædam dicturus, ancipitem me diu substitisse fateor; morbo etenim e vasorum cerebri sanguiferorum plenitudine, plane profluente, contrarium omnino atque periculosum id remedii haberi possit, ne tamen indicta causa relegare jubeatur; in hydrocephalo enim jamjam usurpata sunt emetica et quidem feliciter,

Stokio testante, (medico sagaci et in hoc morbo plurimum versato) quem hic loci honoris causa nominasse liceat quique emeticorum usum in hydrocephalo, alta voce commendat. Præ cæteris autem pulveres Jacobi dictos laudat, ita propinatos ut emesin simul cieant alvumque subducant; nec mirum, circuitum enim per minutos vasorum ramos valida corporis concussione promoveri compertum est, quo fieri possit, ut æqua sanguinis distributione undequaque restituta, cerebrum onere suo levatum pristinam sanitatis conditionem recuperare queat. Sed de operandi modo eventuque argumentationum parum soliciti, quod factum et verum est, fideliter recensemus.

De hydrargyri exhibitione paucis admodum verbis disserere licet, morbum etenim ab eo sæpius amotum testatur Percivalius. Quamvis autem, a tam acri stimulo, sub initia morbi adhibito, auspicari malum quivis inexpertus possit, nihilo tamen minus, ab ultimis signorum primordiis, sese hoc medicamentum propinasse refert felicique eventu Duncanus pater, medicinæ, in hac Edinensi Academia, theoreticæ percelebris professor. In ejus autem usu diu persistendum est, mirum etenim omnino videatur quam mag-

nam hydrargyri molem, ne minimo quidem cum effectu infantuli quidam in pluribus exemplis devoraverint, nec, quo citius in corpus agat suosque exerat effectus, alienum forte fuerit submuriatis pauxillum gingivis atque internis malis infricuisse, quod salivæ per brevi admodum tempore eliciendæ esse crebra observatione constat *. Porro, in quibusdam nimium celeriter e corpore inferius exire solet, huic ergo malo, opio et submuriate conjunctis obviam ire decet; ab alvo autem nimium astricta non minus esse cavendum, censent haud parvi nominis auctores.

Quod ad Errhina spectat, hoc tantum monuisse liceat a pluribus nempe et quidem expertis viris maximopere laudari, sæpius feliciter usurpari, naresque demum arescentes id remediorum flagitare videri. Notandum quoque manet, in omni morbi statu adhibenda nec tempore, nec signis intra limites coerceri.

Morbo, denique, seu renitenti natura, seu medicaminum et remediorum ope, suis sedibus depulso, vires ægroti omnimodo reficiendæ sunt,

* Audi egregium virum Professorem HOMIUM in prælectionibus suis.

quod roborantibus et tonicis imprimis efficiendum videtur. Quum autem in recidivam plerique incidere soleant, a vino aliisque stimulis, caute admodum abstinendum esse monent nonnulli. Malo, iterum ingruenti, applicitis nuchæ vesicantibus aut facto ibidem fonticulo perenni, diæta parca et parum lauta, exercitatione modica quo sanguinis fiat æqualis circuitus, obviam esse eundum patet. Huc forsitan facere videatur indusii et tibialium laneorum usus, quibus et trunco et artubus adhibitis, vis arteriolarum in cute serpentium augeatur, sanguinisque in cerebri penetralibus coacervatio minuatur.

Ea, lector benevole, de Hydrocephalo Interno, dicenda habui, quæ penitus sentio quam sint exigua luceque indigna, ne tamen naso, precor, suspendas adunco. Inexpertus etenim in arenam descendere coactus, erubescens et pene contremiscens dixi. Vale; et "si quid novisti rectius istis, candidus imperti, si non, his utere mecum."

FINIS.